



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quid sit, excidere à Christo & fide.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Christum, Philipp. 3. Nostra conuersatio in cælis est. hæc vita cōsistit in fide, timore, dilectione Dei, in fructibus Spiritus sancti, ad Galat. 5. Rom. 14. Regnum Dei non est cibus & potus, sed est iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto tales nouit Deus, qui sic in Spiritu uiuunt, qui sunt eius. Est quoque alia vita Christiani, scilicet corporalis, qua uiuimus in corpore, & cum hominibus utimur legibus, ritibus, ac cæremonijs tanquam pædagogia, & disciplina qua coercentur carnales, 1. Timot. 1. Lex posita est iniustis & adulteris. Et hæc corporalis vita, siue leges & ritus, non impediunt alteram, id est, spiritualem vitam, qua soli Deo uiuimus. Nam Euangelium non est mundana politia, sed est vita spiritualis in fide, regnans coram Deo: attamē sinit hinc uti legibus omnium gentium, & iubet etiam obedire magistratui, Ro. 13. & illorum creaturis, id est, ordinationibus, ritibus, legibus & præceptis. Igitur Euangelium & fides benè secum patitur leges, ritus, & cæremonias, si in debitum finem ordinantur.

Apostolus increpat Galatas, quòd à Christo exciderint, inquiens Galat. 5. Si in lege iustificamini, id est, uultis iustificari, euacuati estis à Christo, à gratia excidistis, & 1. Timoth. 4. inquit futurum, ut quidam discessuri sint à fide, attendentes spiritibus erroris: sed excidere à Christo, à gratia & fide Christi, est iuxta mentem Apostoli, quandò hoc tribuitur cultibus, operibus, cæremonijs, traditionibus, legibus &c. quod Christo debetur: nempè dum illis tribuitur remissio peccatorum, & iustificatio coram Deo. Hoc enim soli Christo debetur, propter hunc Deus Pater promisit se nostrì misereri uelle, & non propter opera, leges, ac traditiones nostras. Ideò perniciosus error est, tribuere his legibus & cæremonijs iustificationem, quamuis semper error iste hæsit in mundo, nec Prophetæ, neque Christus aut Apostoli poterant

C

poterant

poterant in toto eradicare illum errorem.

Sic Iudæi doctrina iustificationis plurimum offerebantur, quando correcti à Prophetis & Doctores, quòd legi tribuebant iustificationem, & quòd per opera legis consequerentur remissionem peccatorum, & quòd hac fiducia suæ iustitiæ, cultum cumulabant & sacrificia. Ideò occidebant Prophetas, Christum & Apostolos, obstinati in hoc errore. Tales igitur euacuantur à Christo, à fide discedunt: volentes suam iustitiam statuere ideò Dei non erant capaces, Rom. 10.

CAPVT IX.

ARGVMENTA.

1. *Quid significet hoc verbum Gratia, & quid sit.*
2. *Quibus detur.*
3. *Quomodo sit causa, quòd omnia opera nostra Deo placeant, & sint meritoria.*



Hoc verbum, gratia, largè significat auxilium Spiritus sancti, seu actionem diuinam in nobis: & sic accipimus gratiã, in nobis: & sic accipimus Gratiam, quando dicimus, nihil possumus sine gratia Dei, id est, auxilio Dei. Sic orare, benefacere, esse constantem in fide, vincere pericula & tentationes &c. facimus adiutorio gratiæ Dei. Sic inquit Apostolus Phil. 4. Omnia possum in eo qui me confortat. & 1. Corint. 15. Gratia Dei sum id quod sum. Rom. 8. Ipse spiritus iuuat infirmitatem nostram. Aliquando etiam, gratia, significat largè relaxationem pœnarum debitarum pro peccatis. Et sic capimus cum dicimus: Hodie est patrocinium in hac Ecclesia, vadam vt promerear gratiam & indulgentiam, id est, remissionem